

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

VI. Consideratio & Affectus de Sapientia Dei. Feria VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](#)

*VI. Consideratio & Affectus
de Sapientia Dei.*

FERIA VI.

Domine Deus meus, tu omnia nosti: tu Sapientiam tuam infinitam cognoscis & comprehendis te ipsum, Personas divinas, & perfectiones tuas infinitas: quorum cognitio infinitam intellectus tuicapacitatem satis facit, infinito te gaudio replet, teque beatum reddit. Hic quoque Sapientiam tuam cognoscis omnes Angelos & Homines, illorum numerum, cogitationes, affectus, desideria, gaudia, locutiones, propensiones, potentias, scientias, artes, gratiam & gloriam. Eadem Sapientiam cognoscis omnia viventia, & non viventia, omnia animantia & vegetabilia, quadrupedes, volucres, pisces, plantas, flores, herbas, eorumque numerum, virtutes, operationes & proprietates, quae mortaliū nemo assequitur. Atque haec omnia nosti per te ipsum, sine specie, vel imagine, sine magistro aut consiliario, sine libro, idem vel exemplari, quibus non indiges; divina enim essentia tua est loco horum omnium. Vere, Domine, Sapientiae tuae non est numerus.

II.

II. Summa verò hæc & incomprehensibilis Sapientia tua, mi Deus, cum omnibus scientiarum thesauris ad me rudem & ignarum venire dignatur, panis & vini speciebus velata; ut animæ meæ tenebras dissipet, ignorantiāmque meam cognitionis tuæ radiis illustres. Ego enim (libens cum Salomone fateor) *stultissimus sum virorum, non didici sapientiam & non novi scientiam sanctorum.* Proverb. 30. Et cum Socrate, hoc unum sciomen nihil scire. Hinc Sapientiam tuam tantopere desidero, illam æstimo, illam præpono regnis & sedibus, & divitias nihil esse duco in comparatione illius. Veni Domine, & doce me cognoscere & facere voluntatem tuam: doce me, nosse & scire te, nosse enim te, consummata justitia est, & scire justitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis. Sap. 15. 3.

III. Damibi, Domine, sedium tuarum affricem sapientiam, mitte illam de celis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuae, ut tecum sit & tecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te, Domine Deus. Da ut nunquam ad hoc legam verbum

sum, ut doctior & sapientior videar hominibus, sed ut gloriam tuam, & salutem meam, aliorumque; promoveam. Doce me aeterna despicere, praesentia fastidire, aeterna querere, aeterna sapere, honores tuge, scandala sufferre, omnem spem in te ponere, nihil extra te cupere, & super omnia ardenter te amare. Thom. Kemp.

VII. Consideratio & Affectus

de Bonitate Dei.

SABBATHO.

EGO ostendam tibi omne bonum, ajebas olim Moysi, Deus optime, maxime, omne scilicet bonum naturale, morale, & communicativum. In primis regno in te omne bonum naturale: nihil enim tibi deest ad perfectionem naturam pertinens: quidquid bonitatis dispersum est in Angelis, Hominibus, ceterisque creaturis, hoc omne est in te perfectissime & eminentissime collectum. O stultitiam mortaliuum! qui umbram sectantur, solem relinquent; particulam ambiunt, totum negligunt; guttulam captant, mare bonitatis infinitum prætereunt. Doleo me aliquando fuisse de eorum numero: confirmet